



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Ferdinando Secvndo, Imperatori Avgvsto, Potentissimo, Invictissimo,
Germaniae, Hvngariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, &c.
Regi, Archidvci Avstriae, Duci Bvrgvndiae, Stiriae, Carinthiae, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

FERDINANDO
SECUNDO,
IMPERATORI
AVGVSTO, POTENTISSIMO,
INVICTISSIMO,
GERMANIAE, HVNGARIAE,
BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ,
SCLAVONIAE, &c. REGI,
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
DVCI BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ,
CARNIOLAE ET VVIRTEMBERGAE, &c.
COMITI TIROLIS, &c.

ADAMVS CONTZEN è *Societate IESV.*

IVmanorum operum, Imperator Auguste, maximum est, maximéque necessarium Imperium: neque enim potest sine iubendi ac parendi ordine genus humanum consistere; dein DEI imago eminentissima est Princeps, qui immensam numinis maiestatem, mediâ quadam, inter Deum & homines, maiestate representat; quocirca Deus etiam dicitur, quia Dei vicariatu sublimis est, & sacrosanctus. Principatus autem vim dignitatémque non opum apparatu, non honorum splendore, non Imperij latitudine, non satellitio æstimare oportet; sed altissimâ sapientiæ Dei providentiâ, immutabilique decreto, quo vniuersum hoc gubernare instituit.

Cogitatione equidem & intelligentiâ nemo complecti potest, vnde fit, vt tot hominum centena millia, quos inter pauci boni, multialieni, superbi, contumaces, ac præfracti,

Epistola Dedicatoria

fracti, vni homini sint dicto audientes. Cur munitæ vrbes, bellicosæ gentes, latissima regna, homini vni, et si aliquando sapienti, & iusto; sæpè tamen vel ætate inualido, vel moribus deprauato, naturæ verò conditione erroribus obnoxio, non pareant modò, sed opes etiam, quarum auarissima est tenacitas, vitæque ipsam, cuius retinendæ omnes auidi sunt, ad nutum imperantis impendant. Iudicium de communi bono tam constans nequaquam ex congenito priuatim cuiusque, in sitòque affectu nascitur; hunc enim si consulamus, vnumquemque sibi ita conciliatum inueniemus, vt propria commoda, & sui conseruationem rebus omnibus anteponat. A summo igitur numine præter appetitiones propriæ saluti necessarias, indita est animo cuiusque boni communis, & societatis humanæ conseruandæ voluntas, quæ in optimis quibuscunque adeò firma est, vt obedientiam vitæ potiore arbitretur. Huius etiam rei in mutis elementis energiam cernimus, & multò clariorem in membris vnius corporis experientiam. Etenim ne soluto nexu, obstructoque mutuo influxu, rerum mundanarum consociatio, ac communicatio tollatur, ne artificiosissima machina vsque inhiatu, & inanitate fatiscat, omnia contra naturæ suæ indolem, propensionemque succurrunt, leuia deorsum, grauia sursum tendunt: membra verò singula vri, & secari pro capitis incolumitate patiuntur. Cum autem in Regibus colendis, tuendisque omnium gentium etiam barbararum, omnium sæculorum consensum videamus; facile intelligimus, non ab opinione, institutione & doctrina, sed ex diuina ordinatione tantam conspirationem esse.

Duo nobis præbet documenta illa Reipublicæ consideratio, quæ sunt pacis publicæ & humanæ societatis solida necessariæque fundamēta. Alteri Princeps, alteri subditus insistet.

insistet. Intelligit Princeps esse se tot hominum rerumque vinculum, esse sibi in omnes eam potestatem, quæ est capitis in membra. In columitatem suam ac decus omnium membrorum sanitate, vigore, robore contineri. Quemadmodum autem nunquam fando auditum est, vnum aliquod membrum à capite odio haberi, præ cæteris premi; ita nunquam prudens & bonus Princeps committet, ut personarum acceptor, subditorum alios ab alijs opprimi vexarique permittat; sed quemque pro statu suo aureâ iustitiæ æqualitate indemnem & securum reddet.

Alterum priuatis præcipitur: Meminerit quisque se non hominem esse duntaxat, sed in magno Reipublicæ, & societatis humanæ corpore membrum, idque non rogatis, latisque ab homine legibus, sed ordinatione diuinâ, quæ omnium auribus in clamat: *Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Monstrum est, si membrum capiti repugnet, & quemadmodum phreneticorum, & epilepticorum contra voluntatem motus omnibus horrorem incutiunt; ita in Republica quicquid inuito Principe tractatur, habet cum deformitate periculum, & partis ægroantis opus est. Si quis igitur discordiâ, secessione, seditione, bello ciuili concitato ordinem nexumque ciuilem dissoluere machinatur, perinde facit, ac si caput inter & membra tumultum conciat, nec minùs insanit, quàm si situs, & stationes elementorum commutare, & inania quædam seu intermundia efficere laboret, ne mutuo cōtactu & influxu operentur; tam enim æterni legislatoris decreto roboratus in Republica regentium & parentium est ordo, quàm mundi elementaris semper sibi cohærens, & nusquam interrupta compago. Potuit sanè manus omnipotens creato-

Epistola Dedicatoria

ris ita mundum condere, vt singulæ partes absque aliarum syzygia & consortio solitariè consisterent; atque in ea hominem vnumquemque sibi sufficientem; sed aliter visum est, nihil solitarium, nihil non aliorum indigum, alia ex alijs, omnia ex se pendere voluit.

Hæc summi Numinis sanctissima, summèque authentica constitutio (Inuictissime Imperator) me sacras literas in Moguntina Academia docentem silentia rumpere coegit, & de Republica vniuersa scribere; etenim post primos fidei articulos, quorum ignorantiam nulla causatio excusat, maximè, frequentissimèque inculcandum est omnibus animabus, *omnem animam potestatibus sublimioribus esse subditam.* Ea etiam est nunc Europæ constitutio, vt nullo sæculo, nullo loco magis, aut fuerit, aut sit magis necessaria huius doctrinæ solida, atque assidua tractatio, quæ nisi obtineat, turbæ & confusiones rerum politicarum, etiam aliarum rerum ordinem penè inutilem reddant, cùm Christianæ pietati maximè pax & concordia conueniat.

Non ignoro omnium gentium Respublicas sæpè querelis, secessionibus, seditionibus, rebellionibus, bellis ciuilibus agitas; causæ enim motuum semper fuere, auidia, ambitio, libidines, & quædam generis humani infelicissima inquietudo; dum nec Magistratibus Imperij, nec ciuibus est libertatis modus; dum illinc nimia dominatio, hinc nimia licentia appetitur. Verùm hoc malum est omnium temporum: ego de nostri sæculi infelicitate queror singulari, & quidem Europæ nostræ; nego enim vllò æuo, vllò loco, tantam parendi contumaciam, tantam licentiæ & anarchiæ cupiditatem fuisse, quanta hodie turbat, colliditque Europæ nationes. Plures olim, & immaniores seditiones fuere; at causæ, etsi non iustæ & legitimæ,

gitimæ, graue tamen & magnæ fecerunt illas excusatiores; erant enim Magistratum dura, auara, contumeliosa, iniusta, crudelia plerunque imperia, quibus etiam modestus populus ad rebellionem irritabatur, atque exardescibat. Nostro æuo quæ concitantur rebelliones, nec excusationem habent, nec prætextum. Regna enim Europæ moderatissimis legibus administrantur, iureiurando omnium Principum non licentia modò restringitur, ne malum possit; verum etiam multorum libertas inhibetur, ne id possit, ad quod factus est Princeps. Hinc omnia Imperia lenia sunt, multa lenissima; & tamen in tanta mansuetudine, paritate, & seruitute regnantium, à liberrimis populis, ab optimatibus suorum Regum penè dominis, nullâ necessitate, vel vtilitate; sed solâ libertatis, per nimiam felicitatem luxuriantis intemperantiâ, cum exitio gentium, & barbaræ seruitutis ante oculos positæ periculo, grauissimæ rebelliones concitantur. adiungunt se ad asperandas turbas, augendas vires, liberrimæ vrbes, magnatésque nullâ re, ne verbo quidem læsi, ciues suos exhauriunt, æraria expilant, opibus, consilioque rebelles adiuuant, sola Imperij, & quietis impatientiâ. Multis exemplis id Europæ miseria docet, ego contentus ero recentissimo, & quod tua Maiestas experitur. Toto orbe liberiores subditi non sunt, quàm qui Augustam domum vestram, Potentissime Imperator, mite sceptrum, aquas Siloë fluentes cum silentio reiecerunt, oppugnârunt. Edant causas tantorum malorum, quæ prima in eos redundârunt. Non tributorum acerba exactio, non libidines probrosæ, non crudelitas, non aliud malum, sed fictæ, & in vulgus sparstæ suspiciones; hinc mox barbaræ Magistratum, inauditâ causâ, negatâ defensione, cædes.

Epistola Dedicatoria

Religionem facinori nonnulli prætexebant ; at nullius conscientia illata vis est , nulla in Europa gens liberio-rem religionem habebat. Quin ipsi satis ostenderunt, nequaquam religionis causâ tantos se motus conciuisse: cum enim in prouincijs illis sint Catholici , Augustanæ Confessionis assertores , Calviniani , Anabaptistæ , Ariani, Athei, seu Epicurei ; Antiregem tamen elegerunt Calvinianum , qui mox initio , Iconoclasmò sic omnes ter-ruit, ut plerique, qui Calviniani non erant, de suæ religionis libertate desperarent. Et iam spontè multi religionis mutatione , & transitu fauores aliorum aucuparentur.

Constat igitur hoc tempore, animos hominum, ad detrectandum iusta imperia pronos esse , maximè eos, qui cum se regiâ iurisdictione exemptos esse cupiant , subditis suis tamen pro mancipijs utuntur ; & quàm contumaciter superioribus resistunt , tam impotenter inferioribus dominantur. ex quibus non pauci utriusque rei sceleris ab agricolis suis interfecti graues nimium poenas luerunt.

Tam magni & periculosi mali , in magna probra , nî compescatur, aliquando exituri, duas scaturigines, & quasi fontes inuenio: Doctrinam seditiosam , & exempla : utrumque malum inualuit. Pseudotheologi falsâ religionis specie, Pseudopolitici publici boni prætextu Rempub-licam euersum , Reges oppugnatum eunt. utrosque iuuat exemplum eorum , quibus rebellio benè celsisse existimatur.

Doctrina Pseudotheologorum exitium est , pestisque Reipublicæ & pacis. Multi enim cum Ecclesiasticam Monarchiam perturbârunt, cum Archiepiscopos, Episcoposque exegerunt , annuos aut menstruos Præsides institu-
erunt,

erunt, eandem Democratiam, seu, ut ipsi appellant, paritatem, in Rempublicam inducere conantur; ut ipsi tanquam tribunus plebis in regno suo dominantur. Vocantur illi Puritani genus hominum per omnes Europæ angulos magnâ gentium pernicie sparsum: de illis luculentum extat Serenissimi Regis Britanniaë testimonium; libro enim secundo scribens filio testamentum, ita pronunciat: Hic (in Scotiâ) è ministerio homines nonnulli præcipites, ignei, audaces, in hac humanarum diuinarumque rerum confusione, tam gratiosi ad plebem facti sunt, ut degustatâ dominationis dulcedine, cœperint democraticam Reipublicæ sibi formam somniare: & primò auia, deinde matris meæ subuersione elati, (& nimium sanè blandiebatur ijs successus) postremò pupillari meâ ætate ad Democratia suæ stabilimentum diu abusi, iam potestatem tribunitiam spe certâ deuorauerant: ut in populari Republica, cum plebem, quò vellent, facile circumducerent, omnium negotiorum momenta soli temperarent.

Itaq; nulla in pupillari meâ ætate, vel post seditio contigit, quin hos homines sui furoris, & amentiaë patronos seditiosi facere conati sint. Crebræ aduersus me in tribunitijs concionibus calumniaë spargebantur, nō quòd crimen aliquod designassem, sed quia Rex eram, quod omni crimine peius habebatur. Ac quoniam hanc odij causam palam profiteri pudor erat, sollicitè in vitam meam morèsq; inquirebant, minima quæque errata augentes in immensum, rumoribus etiam falsis ad calumniam arreptis: & quanquam omninò videri volebant culpam ab officio, & vitium ab homine distinguere; larua tamen incautis nonnunquam decidebat; & consilia, quæ tanto studio tegebant, suo prodebant indicio; nempe omnes Reges, & Principes Ecclesiæ libertati esse inimicos,

& iu-

& iugum Christi non ferre æquanimiter. hac doctrinæ salubritate suos illi greges pascebant. Quoniam verò è ministerio Viri eruditi & probi, quos temeritatis huiusce & audaciæ pudebat, reuocare nitebantur temerarios ad consilium, abnormes ad modestiam, nec minù exemplo, quàm voce malefanos corrigere, tū verò homines factiosi vnum furoris sui præsidium in paritate collocârunt; quâ freti homines improbi, audaces, imperiti, pios, sapientes & modestos redarguerent. Est hæc paritas mater confusionis, inimica vnitatis, quæ est ordinis parens: quod genus si vt in Ecclesia, ita quoque in Republica obtineret, omnia certò certius misceri necesse foret. Si vtramque ames, ex vtraque pestem hanc egere, Puritanos inquam, quos nec beneficijs deuincias, nec iureiurando fidos facias, nec promissis constringas; sine modo ambitiosos, sine causa maledicos; nec quicquam spirantes nisi seditiones & calumnias; quibus vna conscientia regula est, non diuini verbia auctoritas, sed commentorum suorum vanitas. Testor illum magnum Deum (nec testamentum condentifas est mentiri) nunquam inter Montanos aut Limitaneos nostros latrones maiorem ingratitudinem, aut perfidiam reperiri posse, quàm inter hos phanaticos nebulones. nec patere, si pacatè viuere decreueris, vt hi eadem tecum patriâ fruantur, nisi fortè patientiæ experiendæ ergò, vt Socrates vixit cum Xanthippe.

Minus est, quicquid de Puritanis dicere, vel suspicari audet animus, quàm quod Serenissimus ille Rex publicè, eodem in regno, illis ipsis viuentibus iudicauit. Hi ex Britannica, Gallica, Belgica, Germanica praxi sub vmbra imaginarij Regis, veram omnium rerum confusionem machinati sunt, præcipites, audaces, ignei, ad plebem gratiosi, somniantes dominatum, populum circumducen-
tes,

tes, in omni seditione patroni, apud quos omni crimine peius erat te Regem esse. Hæc talia sunt, ut sola possint populo mutationum auido persuadere, melius esse populi regimen quàm Monarchiam. Accedunt tamen illis Pseudopolitici, oleumque camino, hoc est, publici boni opinionem superstitioni adiungunt. Eorum hæc est sententia: sub Regibus non florere ciuitates, non esse in pretio ingenia, virtutesque, omnia in libertate posita: quos contra in Opere ipso disputo, nunc fontes mali recludo. Hi per seditiones Theologos adiuti, ubi ad magisterium tribus, curiam, syndicatum, aliudque munus adreperint: Primum populi gratiam aucupantur, magistratum in odium contemptumque adducunt, & si fortuna cœptis se accommodet, è sublimi præcipitant; scelera utilia esse in curia, in cœtu proclamant, quæ sanguinarij Theologi religiosa esse in templis docuerant. Duobus igitur flabris, superstitione & priuati spe commodi populum in facinus impellunt; deinde contagione sceleris imbutum quæstui habent, donec extremo exitio inuoluant. In hos enim vno semestri plus, quàm toto decennio in Dominos legitimos impendit.

Altera mali origo est exemplum eorum, qui ex rebellionē felices habentur. Maximum illud est allectamentum, cum conscientiam & religionem Iurisiurandi Theologi suppresserunt, lucellum Politici ostentârunt: sic eos, qui a suo Principe defecerunt, florere, & potentes esse demonstrant: vnius porro nationis bonus successus plus ad inflandos animos stultorum facit, quàm decem eorum, qui rebellionē perierunt, ad deterrendos valeant. Atque hæc de doctrina Reipublicæ corruptrice; de qua liberè confidenterque loqui, quandoquidem libri publicè prostant, concessum est. De altero, quo Monarchiæ petuntur; nempe iactatione felicitatis Aristocraticæ, & Democraticæ
breui

Epistola Dedicatoria

breuius dicam, quia res ita clara est, ut quidquid verbis dicitur, eò quòd in facto relucet, sit obscurius. De utroque queritur Serenissimus Angliæ Rex *libro de Iure liberæ monarchiæ*: vulgi enim errorem ab ijs, qui sapientiæ magistri haberi voluerunt, profectum, florentissimis rebus publicis exitium, cæteris metum attulisse. Deinde exemplo rebellionis stabilitas ait: Blandiens fortunæ impietas, quæ non rarò seditiones aduersus Reges concitatas prospero donauit successu, permultos in hoc errore confirmauit. Author est Machiavelus (quem contra libro primo disputo) nullas res publicas nisi liberas florere, monarchias urbibus esse perniciosas. Eius vestigia sectati plurimi, ita eorum opes, felicitatēque extollunt, qui ex regio imperio in aliam Reipublicæ formam migrarunt, ut omnes ad imitationem inuitent. Cum Oratoribus, Historicis, Scriptoribus eorum mihi res est, de Republica ipsa mihi nec iudiciū sumo, nec alienam litem meam facio. In medio sunt Belgici fœderati prouinciæ, eas ita prædicant, ut regna gentēsque in mutua fœdera, societatemque quasi gentis fortissimæ allectare conentur; exiguum Europæ cum Oceano luctantis angulum aiunt libertatis vsurpatione in eam potentiam excreuisse, ut Regibus vel inuidenda sit eius potentia, vel formidanda. Illustrissimos & potentissimos Ordines appellant, omnia eorum in immensum extollunt, aliorum deprimunt. Exemplo sunt non libri modò, & orationes, sed negotiatorum quoque, & agentium in rebus ingentes spiritus, sua mirantium, aliena spernentium. Germaniam antiquam suam Ordinibus dedicat Philippus Cluuerius: primam ac maximam causam ita recenlet: Quòd nominis Germanici, ait, iam antiquissimis temporibus ob libertatis auitæ immensum studium, ac fortissimam defensionem Romanis iuxta ac Græcis monumen-

tis

tis celebratissimi claritudinem VOS NVNC VNI, cum vicinis & foederatis vestris iisdem rebus, quibus olim maiores vestri per vniuersum terræ orbē apud omnes gentes, populos, atq; Reges sedulò summa cū laude ac gloria tuemini. Ecce quā ille basilicè? qui suos NVNC VNOS ESSE Germanos putat, alios vel vmbas, vel barbaros. Atq; in eā sententiam omnes eorum scriptores, institorēsque loquuntur; vt vulgò iā multis locis persuasissimum sit, eorum esse potētiam maximam, opes infinitas, societate illorum inuictos omnes fore. Hinc noua spes, noua consilia, mutanda Reipublicæ in quibusdam Europæ partibus, quā dira, tam calamitosa cupiditas. Hinc bella ciuilia, sed odio barbaro grassantia, cædes, & belluinæ crudelitatis multis locis exempla vidimus; dum per fas & nefas ad potentiam, quam infinitis mirantur, sese accendunt. Hac in doctrina exemplisq; falli plerōque, in tractatu meo ex præstātissimorum virorum sententia, atq; omnium ætatum cōsuetudine, vsūque docebo. Ad Ordines Batauos, quorum felicitas cæteros ad audendum irritare videtur, quod attinet, me dubiū faciunt duorum virorum, Serenissimi Regis magnæ Britanniæ, & Barneueltij, aliter sentientium iudicia; duorum inquam, in quorū altero est authoritas Regia, in altero summa illius Reip. notitia. Regis hæc sententia est voce publicā anno 1609. in regni Comitij omnium animis, deinde typis commissa. Ita ille Scotos suos alloquitur; Quod ad confederatas prouincias attinet, ibi sanè post nuperas inducias, nostrāmq; cum Hispano pacē humanis omnibus diuinisque permistis ordo Reipub. penè abiit in anarchiam: nec id sine cœlestis Iustitię nutu. Qui enim nostros recipiebāt schismaticos, homines suis opinionibus addictos, & ab Ecclesiæ nostræ vnione auersos; quique omnibus religionū hydris quasi asylū aperiebant, hi ex tā multiplici cōtagione

☆☆

nunc

nunc eò redacti sunt, vt quam religionem ipsi tueantur, vix habeant dicere. Itaq; partium nullarum iam facti sunt, si bique inuicem hostes, quibus antea facile erat eadē sacrorum pacisq; communione nobiscum contineri.

Barneueltij mentem ex Apologia ab illo edita quiuis facile intelliget. Queritur ille anno 1586. inuenisse se ordinē inuersum, ciuitatū rectores erga Ordines malè animatos, Prædicantes multos non agnouisse Status, plebē alienā fuisse, duodecim procentū in fœnus & duos nūmos proxeneticis datos, Lycestriū maiorem quā Status auctoritatē habuisse, re ditibus fuisse maiora grauamina, plebem & magistratus vrbiū pacem optasse, multā pecuniam à Frāciæ Britannicæq; Regibus condonatā, eò tamen deuentum, vt expensarū grauamina omne censuum ac cōtributionum genus quātumuis adauctarū, viginti sex millionibus excederent. Deniq; omnia ita aucta, vt Quæstores referrent, sumptus sustineri nō posse, patriā ad desperationem redigendā, ideò induciarū suasorē se fuisse. Hæc si senex ille inter suos, & rerū gnaros, tam verè, quā fidenter dicit, valdè mihi illius Reipub. felicitatē suspectam facit; cui licet Reges finitimi plus ducenties & quinquagies centena millia librarū donārint, ita tamē grauārit ciues suos, vt Hollandia & Frisia occidentalis, quæ initio vix decies octies cētena millia florenorū conferebant, sub finē quadragies cētena millia librarum & duos præterea milliones soluere, & tamē æs alienum cōtrahere cogerentur. Hæc enim ille omnia profitetur.

Contra hæc tam multa incommoda tenere constanter Rempubicam, hominēsq; vel superstitione, vel cōmodorum spe aliorum actos in viam reducere difficilimum est, quod mihi propositū fuit, cū politica aggrederer; id antè me multi fecerunt, quorum vt pleraque præclarissima dicta veneror, ita tres quasi aberrationes & scopulos inuenio, ad

ad quos ita impingunt, vt aliqui malitiâ, alij affectu, alij verò imprudentiâ Rempublicam offendant. Malitiâ Principem euertunt, quicum versutum, callidum, obscurum, suspiciosum, maleuolum efficiunt; dùmque cauere & timere iubent, ita eum instruunt, vt quasi feras inclusas contineat subditos; quos libros dum subditi legunt, indignantur, & dum munire se è contrario nituntur, rebelliones concitâtur. Alij nimio affectu pro sua forma, & idea, quam conceperunt, ita belligerantur, vt alias omnes contemnant. Natus est quispiam in Democratia, orbem ruiturum arbitratur, nisi de infima plebe sint cōsules. Si patria eius Aristocraticè regitur, vix eos homines putat, qui stemmate carent. Vidi nuper scriptorem Britannum, qui probare conabatur, omnes gentes, quæ regio imperio non gubernarentur, à lege naturali recedere. Horum scripta etsi vnam Reipublicæ formam commendent, in alijs tamen ciuitatibus perniciofa sunt. Plurimi imprudentiâ labuntur: nam in Principum vitijs carpendis operosi sunt, in legibus præscribendis toti versantur, subditos ad parendum non instruunt: cùm parùm referat rectè gubernare, nisi imperanti recta pareatur. Hæc igitur omnia breui complexus, Inuietissime Imperator, tuæ Maiestati dico, dedicoq; non vt tibi profint, sed vt Augustæ Maiestatis titulo nobili iuuentuti commendentur, quam optimis saluberimisque politices præceptis à teneris imbui oportet, vt aliquando Rempublicam in parte sibi commissa gubernare possit. Tuæ verò Maiestati, quæ in supremo orbis terrarum fastigio locata est, opus politicum deberi nemo ambigit, cùm optimi Imperatoris in te exemplar expressum intueamur.

Duæ virtutes sunt in Rege præcipuæ, Pietas & Iustitia; Pietatem rerum gerendarum felicitas, Iustitiam caritas

fidésque subditorum sequitur. Pietatem tuam non subdi-
ti modò, sed hostes etiam persæpè laudârunt. Illa Reges
Deo iungit, vt à Deo pendeant, ad Deum omnia referant,
ad eius cultum dilatandum maiestatem suam famulam
faciant. Duplicem cultum Deo debent; primum, quia
Christiani; alterum, quia Reges. Bona sectantur, mala eui-
tant, quia Christiani; bona iubent, mala vetant, quia Re-
ges. Hac regiâ viâ regnâdi ingressum auxilio suo protectio-
néque te Deus profecutus est; ita enim magna apud te be-
neuolentiæ pignora deposuit, vt nusquam paria; ita singu-
laria, vt paucissima similia reperiantur. Archiducem te po-
tentes, pecuniosi, grâdi exercitu subitò imparatum hostes
aggressi sunt, pertinacitèrque etiam alieno anni tempore
institutum bellum continuârunt. In re inopina animum
nequaquam despondisti, causam tuam iustæ & omnipo-
tenti Numinis dexteræ commendasti, auxilium postulasti.
Dedit ille, nec in arcto posito distulit, nec modò bello ex-
plicuit, sed stante fato, circumsonantibus periculis, domi
nondum securum in Bohemiæ regnum extulit; quod eò
admirabilius visum est, quò manifestior apparuit hostium
tuorum, & diuini consilij conflictus. Premere fortunam
tuam nitebantur, ne in regna, prouinciâsque hæreditari-
as tibi aliquando aditus esset. At habitator cœli, susceptor
tuus exaltauit caput tuum, proceresque Bohemiæ permo-
uit, vt te graui bello implicitum, medio in discrimine &
belli & æmulorum, Regem coronarent. Noua planè res,
nec faciliè vlla in historia memorata; vt alieni belli conta-
gione, sumptu & periculo se implicare vellent illi, qui dila-
to negotio, spectatores esse poterant; sed periculoso tem-
pore id Deus fieri voluit, cùm vt te tam præsentib beneficio
erigeret, tum vt hostibus tuis ostenderet, eos contra sti-
mulum calcitrare. Sopito tandem bello, Regem Bohemiæ
Vngari

Vngari petebant, agitabantur magnis planè motibus illa Comitia, cùm ecce in medio rerum tumore clades tristes ex Bohemia adfertur, procures fidem exuisse, magistratum violasse, magnis animis arma parare; clam, palà, dolis, vitentabant Vngaros in societatem tærrimi facinoris impellere. Et sanè nemo fore putabat, vt Vngari in proposito perseverarēt, cùm bellum cernerent cōtra vicinos suscipiendum, si Regē coronarent, quē viderent ius suum bello persecuturū. Verū illi nihil alienā defectione moti per ipsos te fluctus Deo clauū tenēte extulerūt, soli oq; celso locarunt.

Necdum periculorum finis, quò & Tuæ Maiestatis constantia, & æternæ Maiestatis erga te beneuolentia inclaresceret. Defecerat Bohemia, finitimæq; prouinciæ; Vngaria subito quasi torrēte inundabatur, nutabat Austria, sollicitabantur hæreditariæ ditiones, tota in te barbaries concitabatur. His tamē omnibus grauior erat hostiū insolentia, insultationesq; Deus autē protector Regum, iuris vindex, & equi, tā turbida consilia, tā multiplicē potentiā ad nihilum redegit, & tua tibi pericula gloriosa fecit. Cùm enim in Vngaria Bohemiāq; bello premereris, cùm ex Batauia, Britanniaq; minæ iactarentur, tota Germania esset maximo metu euentorū suspensa: Principes Electores Dei nutū secuti, tuā virtute cōfisi vnanimi cōsensu, omnibus suffragijs Augustum te, Dominūq; rerū cōstituerunt; & Imperij diademate, insignibúsq; ornato fidē iureiurādo astrinxerunt. Idq; tanto animo, ac si omnia illa regna magnatésq; Imperium tibi per legationes poposcissent. Nec modò illi, quorū de tua virtute verū erat iudiciū, & constans beneuolētia obseruantiaq;, cōsensu elegerunt, sed ille quoq;, qui Bohemorū electionē admisit, suffragiū tibi negare à Deo permisus nō est, singulare prorsus atq; insigne diuini fauoris argumentū. Mihi nihil admirabilius videri solet, quā misera illa

hostium tuorum in consilijs vacillatio. Tunc, cum vel paruo, vel nullo labore nocere plurimum potuissent, in campo & freno ora eorum sunt constricta, eoque ipsi adducti, ut id facerent, quod diuina manus fieri decreuit, cum iam vires eorum fractae, tuae firmiores essent, liberiores habenas permisit, ne lateret quid cogitassent. Quid enim Vngari facere potuerint, Te Bohemicis bellis implicato, ex eo constat, quod postea fecerunt, cum emulos tibi opposuere, & rebellarent tanquam alieno. Quam admirandum est Vngaros, aliosque ad famam Bohemicæ defectionis nec fidem, nec suffragia mutasse? at sane ille transitus rebus securè nouandis opportunus erat. Quin etiam est insigne diuinæ benignitatis argumentum, quod nec tergiuersatione, nec tumultu Comitum Imperij vel differre, vel impedire potuerunt; sed omnium stratagematum obliti, summam te Imperij auctoritate & potentiam armarunt, ut mundo constet vniuerso, se non modo iniusta bella contra innocentem, sed etiam impia contra Dominum suum Imperatoremque gerere. Denique omnia illa insigni victoria, de qua tibi orbis terrarum gratulatur, ornauit auxiliator tuus, & dona sua sine poenitentia esse ostendit. Ecce tibi fructus pietatis, quæ fructum habet vitæ, quæ nunc est, & futura.

Altera virtus Imperatoria est Iustitia, cui seruandæ Princeps est constitutus, aliae virtutes singulares sunt, Iustitia aliorum est. Principis fidei est commissæ Iustitia, eius contemptus pestis est ciuitatis. Atque hæc fuit, quæ omnium tibi animos conciliauit, de cura iuris & æquitatis, quam in priuatorum causis præstitisti, quæ tanta fuit, ut contra tribunal tuum nemo questus sit, ut etiam illi, qui Religionem tuam non amabant, te ut Iustitiæ patronum sibi Principem poscerent; nunc fileo. Insigne est illud Iustitiæ trophæum, & vniuersæ Europæ amabile, quod causam status & regnorum disceptationi permittere maluisti, quam bello agere, & sanguine

sanguinem fundere. Quocirca videmus causam tuam non modò plerisque Principum Imperij, sed exteris etiam, Frāco, Polono, Dano, Sueco, imò & inimici tui socero probatam, qui pernicioso exemplo, etiam sibi periculoso, generum in regnum alienum euehi noluit.

Amorem erga te suum fideles subditi satis, supérque declarârunt, qui quamuis decepti, & præsidij pressi, vt primum potuerunt, tuis seducibus dediderunt, quin agricolæ, quorum est de iusto & æquo Principe sincerius iudiciũ, & integerrimus amor, vbi tui exercitus auxilia sensêre, mox sese iunxerunt, multos tibi infideles, sibi graues occiderũt, milites aduersarios, quibus ira victoris pepercerat, innoxios discedere non permiserunt. Partâ victoriâ non minùs Augustanæ Confessionis consortes, quàm Catholici triumphârunt, quòd tyrannide Calvinianâ se quoque liberatos aduerterunt.

Magno igitur animo iustitiam tuere & restituere. Maxima hominũ pars amica est iustitię, illa amore tui, beneficioque deuincta Imperium tuum secundum Deum muniet. In hac quoq; turba ego fausta tibi apprecor, atq; indies oro: *Domine saluum fac Regem.* Tu verò accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatẽ, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo latitię præ consortibus tuis. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiã, & deducet te mirabiliter dextera tua. Procede igitur prosperè & regna. Hoc votum meum est, & votum omnium veræ pacis iustitiæque amantium. *Moguntia Anno 1620.*

die 17. Decembris, quo publica letitia pro recuperata Bohemia cũ subditis suis DEO OPT. MAX. gratias agebat, & tuæ Maiestati gratulabatur Reuerend.

& Illustr.^{mus} Ioannes Swikardus sanctæ Sedis Moguntinæ Archiepiscopus, tuus per Germaniam Archicancellarius, Princeps Elector,

& pro tua totiusque Imperij incolumitate noua vota nuncupabat.